

DE VITIS VERGILIANIS

1. De Aelii Donati vita.

Donati vitam Petri Danielis exemplum secutus ex optimorum fide codicum, qui erant Bernensis (I) saec. X et Reginensis saec. X vel XI, A. Reifferscheidius anno 1860 inter Suetonii reliquias p. 54 sqq. edidit recisis posterioris aevi interpolationibus quae in altero codice Bernensi (II) inveniuntur. Deinde de hac vita emendanda optime meritus est H. Hagenus (in ann. phil. suppl. IV a. 1861—1867 p. 675 sqq.): is enim codicem Reginensem e Bernensi (I), cuius multo meliore uti poterat collatione, derivatum esse statuit, sed alterius codicis iacturam supplevit duobus novis vel inventis vel primum adhibitis, Parisino saec. IX, qui codex solus Donati nomen cum epistula vitae proposita servavit, cum ceteris codicibus vita feratur nomine vel Servii vel nullo¹, et Sangallensi saec. X: quo factum est ut qui hac vita recte uti volent eis Hageni adhibenda sit editio. Qua de vita pauca nunc disserere in animo est. Atque primum quidem qua aetate vita interpolationes passa sit, uno confirmabo exemplo. Nam quod iam Reifferscheidius suspicatus est p. 401 sq., interpolationes vitae non ante reŕatam quam dicunt antiquitatem ortas esse, id certum iudico esse propter verba quae in ipso vitae interpolatae fine leguntur haec (p. 68 Reiff.): *quamvis diversorum philosophorum opiniones libris suis inseruisse de animo maxime videatur, ipse tamen fuit Academicus. nam Platonis sententias omnibus aliis praetulit.* Quae medio aevo fingi non potuisse apparet, cum Platonis et nomen et disciplina prae Aristotele densis obducta essent tenebris atque situ sorderent. Neque vero

¹ Donati nomen ommissa epistula legitur etiam in codice quodam Vaticano saec. XIII (cf. Reifferscheid. p. 54 adn.); invenit id in codice suo etiam Conradus canonicus Turicensis, qui a. 1273 Vergilii vitam rudi manu dolavit, editam a R. Sabbadinio (studi Italiani vol. VII a. 1899 p. 37 sq.).

renatis artibus optimis obliterata atque oppressa eius memoria statim ad tantam emersit gloriam, ut cum Vergilio hunc in modum coniungeretur; quod fieri non potuisse constat, antequam viri magni, nativo quodam veritatis sensu praediti ingentique et virtutis et pulchritudinis amore incensi, Platonis gloria praeter ceteros philosophos aucta pristinum claro nomini restituerent splendorem. Quod evenisse circiter saeculi XV initia ex nobili G. Voigtii de renata antiquitate opere (vol. II edit. 3, Berolini 1893, p. 118 sqq.) cognoscitur. Ac re vera codex ille Bernensis (II) qui solus videtur extare interpolati exemplaris testis Hageno. auctore (p. 680) 'saeculo quarto exeunte vel summum ineunte quinto decimo' scriptus est; quibus ex temporum notis hanc veriolem esse eis comprobatur quae R. Sabaddinius (studi Italiani vol. V a. 1897 p. 384 sqq.) disputavit: doctis enim Italis vita interpolata non innotuit ante annum fere 1425.

Neque hoc Reifferscheidius non recte statuisse videtur in quaestionibus Suetonianis (p. 401), Suetonii vitam Vergilianam a Donato esse retractatam. Quod ut demonstret, primum recte volgarem quendam scribendi morem a polita Suetonii aetate alienum arguit, sed alterum quo utitur argumentum, id quam sit firmum dubito¹. Donatus enim de ossibus Vergilii conditis haec refert p. 63: *Ossa eius Neapolim translata sunt tumuloque condita, qui est via Puteolana intra lapidem secundum*, sed Hieronymus in chronicis ad urbis annum 735 ossa inquit *eius Neapolim translata in secundo ab urbe miliario sepeliuntur*. Hieronymum Suetonii verba ipsa, Donatum eiusdem retractata tradidisse Reifferscheidius censet; immo Hieronymum more suo Suetonii verba in angustum coegisse manifestum est. Quo loco errores quosdam corrigam, in quibus hi qui nostra aetate poetae vitam enarrant in Hieronymi testimoniis adhibendis versantur. Is enim Vergilium puerum inde ab anno urbis 696 (a. Chr. 58) Cremonae studiis eruditum esse ibique toga virili sumpta Romam petiisse anno 701 (a. Chr. 53) refert; Donatus tamen p. 55 certis temporum notis omissis *initia aetatis* usque ad togam virilem sumptam Cremonae illum egisse, tum Cremona Mediolanum et inde *paulo post* Romam transiisse scribit. Qua in re cave ne nimium tribuas Hieronymi auctoritati.

¹ Multo certius, immo certissimum id est quod Fr. Leo in Culicis editione p. 18 protulit, longam huius poematis enarrationem quae extat in vita (p. 58) non Suetonii esse sed Donati, qui de argumento carminis sat obscuri et tunc oblivione fere obruti in usum legentium disserat.

Nam Suetonius nisi in gravissimis rebus tempora non multum curavit, quae ei ab elegantia operis instituti aliena viderentur esse, cum nimia frequentia fastidiosas legentium aures offenderent; Hieronymo ut qui chronica scriberet certis temporum indicibus opus erat, quae ubicumque non commemorata invenit fortiter fingere a sanctitate sua alienum non putabat. Veluti Voltacilium Pitholaum, rhetorem latinum et Cn. Pompei doctorem, Romae scholam aperuisse anno urbis 673 (a. Chr. 81) adnotavit, quem annum pro certo ponit M. Schanzius in hist. litt. Rom. I² p. 200; sed apud Suetonium (de rhet. 27) Hieronymus nihil invenerat nisi haec: *rhetoricam professus Cn. Pompeium Magnum docuit* (cf. etiam Ritschelium parerg. Plaut. p. 624); idem Valerium Probum Romae floruisse anno urbis 809 (p. Chr. 56) scribit, quo fretus fundamento quid molitur Steupius de Probis p. 62 lege sis apud ipsum: Suetonius enim in vita Probi (de gramm. 24) tempora plane omittit (cf. quae B. Kuebler, De Probi commentariis Vergilianis a. 1881 p. 6 sq. recte disputat). Sed ad propositum ut redeamus, erat enim nobis quaestio de retractationis vestigiis in Donati vita Vergiliana, is postquam L. Varius et Plotium a Vergilio ex parte heredes constitutos esse his verbis enarravit *heredes fecit ex dimidia parte . . . , ex quarta . . . , ex duodecima . . . , ex reliqua L. Varium et Plotium Tuccam*, hunc in modum pergit (p. 63):

|| *qui (Varius et Tucca) eius Aeneida post obitum iussu Caesaris emendarunt, de qua re Sulpicii Carthaginiensis extant huius modi versus:*

*iusserat haec rapidis aboleri carmina flammis
Vergilius, Phrygium quae cecinere ducem.*

*Tucca vetat Variusque simul: tu maxime Caesar
non sinis et Latiae consulis historiae.*

*infelix gemino cecidit prope Pergamon igni
et paene est alio Troia cremata rogo¹.||*

egerat cum Vario, priusquam Italia decederet, ut si quid sibi

¹ Carminis haud inficeti et imitatione Propertiana (III 4, 10) insigniti in anthologiae latinae codice Vossiano altera extat forma multo peior, quae ipsi, nisi fallor, anthologiae editori debetur, qui exemplar dum facitiis superare studet, pessum dedit. De huius carminis originè Baehrensium (poet. lat. min. vol. IV praef. p. 44 sq.) perversa quaedam profert, quae infra castigabo; carmen ipsum more suo corrumpit l. c. p. 169.

accidisset, Aeneida combureret, sed is facturum se pernegarat. igitur in extrema valetudine assidue scrinia desideravit crematurus ipse: verum nemine offerente nihil quidem nominatim de ea cavit, ceterum eidem Vario ac simul Tuccae scripta sua sub ea conditione legavit, ne quid ederent quod non a se editum esset; edidit autem auctore Augusto Varius, sed summatim emendata. Sulpicii Apollinaris epigramma quin ipse narrationi inseruerit Suetonius, non videntur dubitare docti; mirum tamen si Suetonius, qui in vitis hominum litteratorum conscribendis tot attulit testimonia ex optimis et antiquissimis auctoribus petita hoc uno loco aequalis sui verba in usum vocavit. Attamen hoc non satis certum forsitan videatur esse argumentum; sed accedit gravius. Nam qui verba supra scripta diligenter consideraverit, is Donatum de Aeneide emendata bis, non semel disputare mirabitur, primum ut inde occasionem petat epigrammatis illius afferendi, deinde ut de ratione qua Varius Aeneida ediderit emendaritque docte disserat, sequuntur enim post ea verba quae supra scripta sunt testimonia quaedam a Suetonio ex antiquis auctoribus diligenter conquisita; neque hoc recte a Donato institutum est, quod priore loco Varius et Tucca Aeneida emendasse dicuntur, posteriore solus Varius. Quid igitur? Sulpicii epigramma una cum verbis quibus id cum prioribus coniungitur (*qui . . . versus*), Donatus Suetonianis addidit; neque reconditam in eis quae ipse adiecit doctrinam prae se tulit: nam Sulpicii epigramma Aeneidos editioni cuidam — fortasse eidem quam fecisse videtur Sulpicius ipse, cf. Teuffelii hist. litt. Rom. § 357, 2 — propositum fuisse, ipsis epigrammatis verbis satis ostenditur. Proinde exime verba cancellis a me circumscripta, quae Donatus Suetonii narrationi interposuit: quam egregie quae utrimque restant sententiae in unam coeant statim apparebit; nam Suetonius postquam Varii et Tuccae heredum mentionem fecit, adnectit quae cum hereditate coniuncta erant: *egerat cum Vario e. q. s.*

2. De Servii vita.

Servius grammaticus commentarium quem in Aeneida composuit a brevi incipere voluit vitae Vergilianae enarratione. Quam vitam Reifferscheidius (l. c. p. 399) et Ribbeckius (Vergilii opera ed. Lipsiae a. 1884 p. VII), quibuscum consentit Schwabius in Teuffelii libro (§ 224, 1 d), a Servio alienam esse statuunt cum propter nimiam exilitatem tum quia in ea desint quae Servio ipso teste inesse debuerint. Is enim in bucolicorum

praefatione (p. 3, 28 Thilo) *et dicit inquit Donatus, quod etiam in poetae memoravimus vita, in carminibus naturalem ordinem secutum esse Vergilium: primo enim pastoralis fuit in montibus vita, post agriculturae amor, inde bellorum cura successit: haec in Servii vita quae nobis quidem tradita est frustra quaeruntur. Quid vero, propterea a Servio eam esse alienam statuemus? immo quod iam Hagenus (l. c. p. 682) et Thilo (in editione Servii p. LXXVII) suspicati sunt et quod Schanzium (l. c. II² p. 28) probare video, vitam quam nos legimus ex ampliore excerptam esse, id novis quibusdam confirmabo argumentis. Quam enim eam dicemus esse vitam, in qua de morte poetae nihil omnino legatur? nam recentissimos codices, qui lacunam quoque modo resarciunt (cf. p. 3, 22 ed. Thil.), nihil curabimus. Praeterea post initium haec verba leguntur (p. 1, 12): *scripsit etiam septem sive octo libros hos: Cirin Aetnam Culicem Priapeia Catalepton Epigrammata Copam Diras.* Quae sani esse scriptoris negabimus, primum enim septem sive octo esse libros scribit, deinde octo enumerat; debuit igitur iudicium ferre de octavo illo aut addendo aut eximendo. Quod quemadmodum explicandum sit, ex Donati vita (p. 58 sq.) apparere videtur, ex qua Servianam ductam esse constat¹. Is enim cum de Aetna ambigi referat, Servium quoque de hoc carmine eadem verba vel similia addidisse probabile est, quae is qui vitam excerpserat recidit. Sed patet altera explicandi via. Nam in enumerandis minoribus quae Vergilii ferebantur carminibus Copam Donatus i. e. Suetonium omittit, Servius addit, quod carmen Charisius quoque Vergilianum dicit (gramm. lat. I 63): itaque hoc carmen post Suetonium, ante Charisii auctorem inter Vergiliana receptum esse concludimus. Servius igitur utrum Aetnam an Copam octavum illud de quo ambigeretur carmen crediderit, in medio relinquo, sed iudicium eum tulisse ipsa ratio postulat ut statuamus. Quae si recte*

¹ Sane Leo l. c. et libri de biographis p. 13 vitam Servii, quem eius auctorem esse recte scilicet dicit, ex ipso petitam esse scribit Suetonio; neque ad quaestionem propositam refert, utra verior sit sententia: sed Servium, qui et in commentariis verba Donati saepe affert saepiusque auctoris nomine omisso in usum vocat et in bucolicorum praefatione eiusdem prolegomena nobis quoque tradita compilavit, in vita quoque scribenda, quae ante bucolicorum praefationem illam posita est, eidem sese applicuisse auctori consentaneum est. A vita Donatiana etiam scholia quae Danielis vocantur pendent in eis quae ad aen. I 560 adiecta sunt, Terentii vitam Donatianam adhibuit Servius ad aen. I 410.

disputata sunt de Servii vita in epitomae formam coacta, haud parvi videntur esse momenti ad diiudicandam controversiam, mea quidem sententia nondum ad exitum adductam, de duplici quae nobis tradita est commentarii Vergiliani forma; qua de re iudicium nunc non feram.

3. *De Probi qui dicitur vita.*

Inter vitas Vergilianas tempore prima fertur ea quae in codicibus celeberrimo inscripta est Valerii Probi nomine. Quem verum esse vitae auctorem O. Iahnus statuit a. 1843 in prolegomenis ad Persium (p. CXLI sqq.), neque ab eo dissenserunt H. Keilius in praefatione editionis commentarii Probiani (Halis a. 1848) aut A. Reifferscheidius, cum a. 1860 vitam ederet in reliquiis Suetonianis. Primus dubitationem movit A. Riesius libelli quem de commentario Vergiliano Probi nomine tradito scripsit Bonnae a. 1862 p. 24 sq. Namque locis quibusdam Probi et Donati inter se collatis a Probo vitam abiudicandam et posterioris aevi homini tribuendam statuit, qui ex memoria narrans et quasi dormitans stulte commiscuerit vera falsis. Riesii argumenta probavit novisque auxit egregia commentatione post mortem auctoris edita G. Thilo (ann. phil. vol. CXI.IX a. 1894 p. 290 sqq.). Neque tamen Riesius et Thilo viris doctis persuaserunt omnibus, nam qui iudicium libelli a Riesio compositi tulit O. Ribbeckius (ann. phil. vol. LXXXVII a. 1863 p. 351 sqq.), opinioni eius accedere dubitavit, H. Hagenus (l. s. s. p. 682, 1) Riesii sententia in ceteris comprobata Probi esse vitam sed ab alio interpolatam scripsit, G. Koertgius, qui in Suetonii de viris illustribus libros inquisivit, vita Probiana 'Suetonio vetustioremem memoriam praestari' contendit (diss. Halensium vol. XIV a. 1900 p. 195). Quae cum ita sint, quamquam plerosque nunc Probi nomini diffidere intellexi, tamen cum inesse statuunt res veras aliunde non cognitae, de hac vita denuo quaerendum esse duxi, ut, si fieri posset, et Probi memoriam tantis sordibus purgarem et quae in vita inesse viderentur nova ea nullius esse pretii docerem.

Atque traditur quidem haec vita tribus saeculi XV libris manuscriptis, Parisino, Vaticano, Monacensi, proposita Valerii Probi in bucolica et georgica commentario (quo de commentario disserere ab hoc loco alienum est, cum praesertim quae mihi quoque probantur nuper a Fr. Marxio in Lucilii editione, vol. I p. LXXIII sqq. praeclare exposita sint); quibus libris manuscriptis accedit editio princeps Egnatii, Venetiis a. 1507 typis confecta; atque testatur

Egnatius in praefatione, se librum edidisse 'ex vetustissimo codice ms. Bobii quondam a Georgio Merula invento', qua de re vide Keilii et Hageni (in appendice Serviana, Lipsiae 1902) praefationes. Quem codicem Bobiensem nunc deperditum, incertae illum quidem aetatis — neque enim inde quod vetustissimus esse praedicatur a Merula quicquam de vera eius antiquitate concludendum esse periti norunt —, solum esse constat et vitae et commentarii fontem. Qua in vita nihil inesse contendo veri, quod non aliunde sit notum. Nam quod primum inspicienti novum videri potest, matris praenomen additum, quae *Magia Polla* ab auctore vitae nominatur, id cum in Donati vita desideretur, legi scito in Phocae, grammatici saec. V, vita metrica (ed. Reifferscheid. l. c. p. 69, 8), a quo aut ex ipso Suetonio arcessitum est aut id quod potius crediderim ex posterioris aevi vita aliqua Vergiliana nobis non tradita, nam complures extitisse magnus qui fuit interpretum Vergilianorum numerus suadet ut statuamus. Porro scripta esse vitae auctor refert bucolica a Vergilio annos nato XXVIII: quod cum apud Donatum non legatur, Probus ipse, summus grammaticus, in doctissima bucolicorum praefatione his verbis attulit (p. 329, 5): *cum certum sit eum, ut Asconius Pedianus dicit, XXVIII annos natum bucolica edidisse*, ex Probi commentariis quos bene novit eadem, sed Pediani testimonio omissio, Servius in suam bucolicorum praefationem (p. 3, 26) transtulit. Neu quicquam tribuas, quod in georgicis Hesiodum et Varronem secutus esse dicitur Vergilius: id enim auctor, quisquis fuit, ex commentario georgicorum ascivit, ubi Servius Hesiodi et Varronis saepissime mentionem facit. Neque reconditam hercle doctrinam prae se fert, cum Vergilium *Epicuri sectam secutum* esse scribit, nam idem Servius in aen. VI 264 *ex maiore parte inquit Sironem, id est magistrum suum Epicureum sequitur*. Hinc auctorem in centunculis consuendis adiisse Servii commentarios perspicuum est¹). Cetera quae in vita insunt ex

¹ Vitae scriptores qui fuerunt aetate posteriore res apud probos auctores traditas ex scholiis auxerunt. Nam quod in vita codicum Bernensium (apud Reifferscheidium p. 52 sq. in adn., Hagenum l. c. p. 745) legitur Vergilium Romae cum Augusto apud Epidium rhetorem studuisse, id ex scholio quodam ad buc. 1, 6 nobis non tradito fluxisse, eis demonstratur quae in vita deinceps sequuntur. Ceterum res in veri speciem conficta est; nam et Augustum apud rhetorem illum audiisse Suetonius narrat de rhet. 28 neque temporum rationes obstant — C. enim Octavium puerum duodecim annorum i. e. anno a. Chr. 51 Iuliam aviam defunctam laudasse, Vergilium paulo post annum a. Chr. 55

Donato petita esse Thilo l. c. comprobavit et idem quanta socordia quamque supina usus neglegentia an impudentiam potius dixeris et fraudem auctor pleraque contraxerit contaminandoque pessum dederit multis ostendit exemplis¹: veluti ut hoc seligam, cum haec scribit (p. 323, 10 Hagen) *deinde per gratiam Maecenatis in amicitiam Caesaris ductus est*, ea noli credere ex puro derivata fonte, nam contracta sunt ex Donati praefatione in bucolica (ed. Hagen in ann. nov. suppl. l. c.), ubi haec leguntur (p. 7): *sed postea et per Maecenatem et per tres viros agris dividendis Varum Pollionem et Cornelium Gallum fama carminum commendatus Augusto et agros recepit et deinceps imperatoris familiari amicitia perfruitus est*. Ac quo magis cognoscas obscuram et miseram falsarii operam, audi quae in fine vitae balbutit: *Aeneis servata ab Augusto, quamvis ipse testamento damnat², ne quid eorum quae non edidisset extaret, quod et Servius Varus hoc testatur epigrammate*:

Romam transgressum studiis rhetoricis se dedisse constat —; denique Vergilius ipse cum in catalepton septimo *inflata rore non Achaico verba*, h. e. latini cuiusdam rhetoris disciplinam, execratur, in hoc magistrorum numero Epidium fuisse et nomen prodit et ex vita eius quam scripsit Suetonius apparet; quam dicendi disciplinam illis maxime annis floruisse notum est. (Condiscipulus Augusti Vergilius iuvenis dicitur etiam in opusculorum Vergilianorum codice Colbertino: cf. Leo l. s. s. p. 19.)

¹ Nolo tamen hominem privare laude, quod quo aetatis anno Vergilius obierit rectius Donato indicavit. Donatus enim (p. 62) *anno aetatis LII impositurum aeneidi summam manum* eum in Graeciam profectum Brundisii mortuum esse scribit; sed Vergilium natum Id. Octobr. anni a. Chr. 70, cum XI Kal. Octobr. anni 19 moreretur — quae tempora Donatus ipse tradidit —, quinquagesimum primum, non secundum aetatis annum egisse constat, eumque annum recte tradit Probus p. 323, 16: *decessit in Calabria annum agens LI*. Eumne qui totiens erravit semel errorem auctoris sui correxisse putabimus? immo magis placet in Donati verbis mendam librariorum culpa commissum statuere: quam facile enim fieri potuerit, ut in his *LI impositurum* lineola quae est ante *i* litteram per errorem bis poneretur, perspicuum est.

² Ita libri manuscripti omnes, sed Egnatius, editor princeps, propter rem grammaticam scilicet correxit 'cavisset'; hinc profectus Hagenus in adn. crit.: 'fortasse: *damnasset cavens*', Keilius eumque secutus Reifferscheidus saltem '*dannaverit*', vitia dicendi omnes, non librariorum neglegentiam corrigentes. Paulo post *cuius sepulcro . . . hoc legitur epigramma libri, in eius sepulcro* ex Keilli coniectura et Reifferscheidus et Hagenus, quanto elegantius tanto peius. Vide etiam quae infra (p. 175) de *Andico vico* disseram.

*iusserat haec rapidis aboleri carmina flammis
Vergilius, Phrygium quae cecinere ducem.
Tucca vetat Varusque simul, tu maxime Caesar
non tibi, sed Latiae consulis historiae.*

Atque ii quidem, qui Probum vitae auctorem esse credunt, verba quod et . . . *historiae* ut interpolata secludunt, ne epigramma afferatur Probi aetate multo inferius; quae ratio quamvis sit falsa, ut mox demonstrabo, tamen multo magis peccant¹, qui Servium illum Varum fingunt esse poetam aevi Augustei aliunde non cognitum: quibus enim illi erroribus impliciti a recta interpretandi amussi deliraverint referre piget pudetque, cum praesertim iam O. Jahnius speciosissima coniectura, quam cum Reifferscheidio (p. 399) communicarat, rectam viam praeiverit: is enim Servii Mauri vel Marii nomen latere idque Vari loco substituendum putavit. Atque hactenus quidem viri doctissimi rationem probo, ut falsarium, qui vitam quam exscripsit Servii grammatici nomine ferri videret — nam Donati nomen oblivione fere obrutum esse supra (p. 166) dixi —, ex notissimo interpretis Vergiliani nomine fingendi originem duxisse statuam, sed ut nomen ipsum coniectura substitui vetem: namque ne saeculi IV grammaticum vero appellaret nomine, Probum personatum cum ipsa fraudis ratio prohibuerit, forti usus impudentia illius loco filium aliquem terrae Servium Varum proculdit; nam Varum cognomen esse aevo Augusteo usitatum ex ipso novit Vergilio: quid quod homo noster prave doctus Varum cum Vario confudit, noli enim emendare quod versu tertio traditur nomen *Varus*, ne forte non librariorum incuriam in hoc nomine exarando sane creberrimam sed auctoris incitiam corrigas. Sed quamvis ille fuerit stultus, non carebat ea quae falsariorum solet esse astutia. Nam si epigramma illud, quod apud Donatum vel Servium legit, sic integrum repetivisset, fraudem ipse invitus detexisset: illud enim Sulpicii Apollinaris auctoris nomine a Donato vel Servio afferri videbat (v. supra p. 168). Quid igitur fecit? disticho quod erat ultimum omisso in eo quem postremum voluit esse versu verba tradita haec *non sinis et Latiae consulis historiae* ita immutavit, ut

¹ Sonntag. in hebd. phil. class. 1890 col. 1017 sqq., idem in libro de Vergilio poeta bucolicorum (Lips. 1891) p. 192; C. Pascal. in commentationibus Vergilianis (Mediolani 1900) p. 153 sqq.; Aem. Baehrens. l. supra (p. 168, 1) s., qui plausum tulit Beckii in ann. phil. 1886 p. 133 et 508.

scriberet *non tibi sed L. c. h.*, quae ut sunt a carminis argumento aliena ita a fraudulentum hominis ingenio haud absona. Sed, quod aiunt, bonus eventus probat operam: imposuit enim vafer ille doctis quibusdam, qui nunc inter se litigant, utrum epigramma utro prius vel magis affabre compositum sit¹.

Sed unum sane in vita inest nusquam alibi traditum, de quo quid statuendum sit videamus. Nam de Vergilii patria haec leguntur: *natus . . . vico Andico, qui abest a Mantua milia passuum XXX*. Nihil dico de adiectivo ab Andibus prave declinato, quamquam Probi auctoritate deceptus vir doctus quidam (O. Brugmannus in arch. lexicogr. vol. XIII a. 1904 p. 134) nuper proclamavit ei qui probe ac latine scripturus sit aut Andes aut vicum Andicum dicendum esse — vitium ille quidem, si quid video, commendans sermonis, quod in thesaurum quoque linguae Latinae irrepsit —; nihil dico, quod Andes pro pago minus proprie vicus nominantur: sed unde, id enim quaero, auctori, quisquis fuit, compertum esse dicemus certum illud ac definitum quo Andes a Mantua seiunctae erant spatium? nam quid Suetonius ea de re scripserit, Donati et Hieronymi consensu certissime probatur: *natus . . . in pago qui Andes dicitur et abest a Mantua non procul*, haec Donatus; *in pago qui Andes dicitur haud procul a Mantua nascitur*, Hieronymus. Atque falsum esse quod ille dicit XXX milium spatium iam anno 1894 Thilo l. c. scita computatione quasi pertica usus limitari docuit; ego cum errorem propagari viderem, viros illarum regionum nunc maxime peritos

¹ Extat praeterea in codice Ausonii Vossiano saec. IX eiusdem argumenti epigramma, quod editum est in anthologia latina, vol. II p. 106 Riesii = vol. IV p. 169 Baehrensii. Supra scripta sunt in codice haec: 'exasticha Sulpicii Cartaginiensis in eiusdem libris' i. e. in Vergilii aeneidos libris; post inscriptionem sequitur quasi totius opusculi 'prae-fatio' epigramma tribus distichis conceptum, tum incipiunt hexasticha senorum versuum hexametrorum. Epigramma non solum in eodem versatur argumento atque illud quod apud Donatum Sulpicii nomine traditur, sed singulae sententiae verbaque singula tam similia sunt, ut alterum alterius esse paraphrasin luce sit clarius. Quid igitur? num eorum quorum nomina supra (p. 174, 1) attuli probabimus opinionem, Donatum in afferendo Sulpicii nomine errasse? immo vero duo ille pauxit eiusdem argumenti epigrammata etiam verbis inter se simillima: quod cum faceret, Martialis graecorumve poetarum eum secutum esse exempla apparet. (In Scaligeri schedis praefationi illi, i. e. epigrammati, 'Focac' adscriptum esse Riesius adnotat; sed Scaligerum in his quilibet edendis ingenio saepius indulsisse constat).

consulendos duxi. Atque de Andium situ Gaetanus Quadri, magister urbis Romae, quem mea causa adiit Antonius Cima, vir de Vergilio optime meritus, haec per litteras comiter mecum communicavit: 'Quanto ad Andes, non distava da Mantova più di 6 chilometri. L'affermazione di Probo è inesatta, e forse fu per tale affermazione che si credette da alcuni (Maffei)¹ di identificare Andes con Valleggio sul Mincio, ma a torto. Andes fu chiamato Pietole (= piccole pievi) verso il 1000. Il paesaggio di Pietole corrisponde alla descrizione che fa Virgilio.' Quae cum ita sint, H. Nissenii coniecturam quamvis sit acuta non probabimus, qui in libro nobilissimo de Italiae situ ac populis scripto (vol. II, a. 1902, p. 204 adn. 1) numerum traditum ita corrigendum esse censuit, ut pro triginta fierent tres: nimium enim honorem tribuit falsario, qui, ut solent qui ficta pro veris venditant, non contentus incertis Suetonii verbis certum posuit quicumque ei in solum venit numerum. Neque magis quam Nissenii alterius viri doctissimi sententiam probo: Chr. Huelsenus enim in litterarum thesauro a Wissowa edito s. v. 'Andes' haec scripsit — nam operae pretium est, eius sententiam eisdem iterare verbis, quo magis quam ea sit a veritate aliena appareat, modo ut vera ea sint quae ego nunc disputo —: 'Andes, Dorf im Gebiete von Mantua, Geburtsort Vergils (Donat. vita Verg. p. 54 Reiff., Hieron. ad a. Abr. 1948). Genauer giebt Probus in Verg. p. 1 Keil an: (*natus est*) *vico Andico qui abest a Mantua millia passuum XXX*. Das Dorf Pietole, 5 km südöstlich von Mantua, wird demnach von der Localtradition (freilich schon seit 600 Jahren: Dante Purg. 18, 83²) mit Unrecht als Heimat des Dichters angegeben; die Lage von A. ist nicht näher zu bestimmen.' Tanti igitur Huelsenus aestimat Probi auctoritatem, ut ea confisus damnet quae saeculorum vetustate quasi consecrata de Vergilianae patriae situ propagabantur. Quae fama quam sit certa etsi non definio — fama enim locorum ut est saepe veri tenax ita haud raro magnorum sibi per dolum occupat nominum gloriam —, tamen Probi testimonio erroris vel fraudis eam convinci posse nego: improbum enim Probum esse testem certis, nisi fallor, argumentis

¹ Significatur, nisi fallor, Scipio Maffei, qui a. 1732 librum edidit qui inscribitur 'Verona illustrata'.

² Dantis verba haec sunt: 'quell'ombra gentil, per cui si noma Pietola più che villa Mantovana', ad quem locum vide quae adnotat Scartazzinius.

demonstratum est. Cuius aetatem quamquam certis nequeo circumscribere temporibus, tamen Donato et Servio posteriorem esse docui; saeculo V vel adeo VI, cum in media barbarie studia Vergiliana non omnino iacerent, eum vixisse, Gaudentii vel Philargyrii fere aequalem, facile equidem crediderim. Is igitur in exemplar quoddam bucolicorum et georgicorum incidit instructum adnotationibus et doctissimis et vilissimis, quas ille in brevius coactas et corruptas, novis additis ineptiis et Probi nomine clarissimo inscripto, auxit vitae enarratione fraudis ac nugarum plena.

Vratislaviae.

E. Norden.